Formankowic Samuel

Słostowski Hyacinthi: Ἐπικήδειος V. D. Samueli Formankowic.

ΕΠΙΚΡΑΤΥΣΙΣ

V. D. SAMVELI FORMANKOWIC,

ARTIVM ET PHILOSOPHIÆ BACCALAVREO, *Promotus Anno Dni 1673. mense Aprili*

Dum A

Clariſsimo & Magnifico, Domino, Domino LAVRENTIO SMIESZKOWIC, Medicinæ & Philoſophiæ Doctore Eruditiſsimo, necnon Generalis REGNI POLONIÆ LYCÆI, Procancellario, RECTOREq; Vigilantiſsimo, LICENTIATVS ſiue Secundæ Laureæ Gradu, in Artibus & Philoſophia dignus, in frequentiſsima Illuſtriſſ: & Ampliſsimorum Virorum Corona, 11. Calend. April. Anno Domini, 1646. ritu ſolenni renunciaretur.

AB

HYACINTHO SLOSTOWSKI, Eloquentiæ Auditore, Honoris & amoris ergò

DECANTATA.

5.

Non quòd STOA CRACI, potens Alumnis,
Facundum ciet hîc, putes legendum,
Vir præſtans SAMVEL: tibi fauentem,
Sentimus: redamat tuos labores.
At pectus niueum, tuo cohærens
Sincero ſtudio, feras amanter.
Te natura parens, magis beauit,
Quàm Muſæ valeant loqui diſertæ,
Præclarum, roſeus color, fauorem
Inſpirat; dociles tui vigores,
Sublimem cupiunt, gradus honorem.
Præſtanti facie, ſatis renides,
Narcisſus veluti decorus ore,
Nec fortuna tibi, ſuos negauit
Theſauros: melioribus tamen, dum
Indulges ſtudiis, perennitatis,
Amplexaris opus: dic quod omni,
Felix expedias honore ſemper.
Hæc mentes poliunt locant polis, &
Demulcent, rigidos leonis inſtar
Affectus; cumulant beatitate
Mortales: vitiis obex paratur
His firmus: populo ſalus, & ænum.
Excellens animus, probata virtus,
Et cultus placidè, peramplus orbis,
Doctrinâ capiunt perennitatem.
O curas vigiles, ~~graues labores,~~
Et mores graciles, notâ carentes.
Quis rectè titulis, tuos beabit?
Es præſtans Genio diſertiore,
Et rebus grauibus decens haberis,
Te Phæbus, memores amantq; Muſæ,
Et dono cumulant amæniore;
Clareſcis Superos humi colendo:
Et gratus ſtudio ſuâuitatis
Romani Eloquii, vales lepore:
Laudaris ſimul, ore gratioſo.
CHryſippus ſapiens, Plato diſertus,
Te donis, onerant, ſuis abundè.
O Palmes, generoſiore ſtirpe
Perfauſtè veniens ſacro Lycæo:
VESICAM nec habent tui labores,
Nec faſtu tumidus, polos ad ipſos,
Attollis rigidum caput ſuperbè.
Nunc ô nunc, teneris litas Deabus
Sincerè: ſtudii & profundioris
Speraris, nitidum decus futurum.
Cretato vitiabere, haud tumore
Antiquum referens ſtatum virorum:
Et priſcos ſapiens, piosq; mores
Non vnquam, vereare cauſticam vim:
Sit liuore macer, notans virentem
Te: celſosq; gradus, tenentem honoris:
Ardentes ſtimuli, furor malignus,
Auctori nimis, haud Tibi, nocebunt.
Aſt ô mens, variis refuſa, tandem
Hîc limes dirimens tibi locetur.
Nunc fœlix SAMVEL modos venuſtos,
Et plauſus, animo ſereniore,
Dum Clarus, veteris SCHOLÆ Toparcha,
Te LAVRI viridis decore cenſet
Dignum: fac repetas frequentiores.
Applaudunt hilares fauentque amici:
Dant plenis animis, ſecunda vota,
Cantus Sicelidum, ſacræ Mineruæ.

CRAC: Typis Alexandri Dymowski.

Anno Dni 1719